

X 1904809





Q. 21, 23.

Q. D. B. V.

Vc
2233

HISTORIAM
GEORGI
SAXONIAE
 Ducis

disquisitioni publicae submittit

PRÆSIDE

GOTTHOFREDO
ARNOLDO,

Historiarum in Acad. Giessensi Prof. P.

Respondens

JOHANNES HAUBOLDUS ab Einsiedel/
Eques Saxo.

Ad diem *Novembris* M DC XCVII.

GISSÆ-HASSORUM,
Typis HENNINGI MÜLLERI.

5 1/2



PER-ILLUSTRI ac GENE-
ROSISSIMO REVERENDISSI-
MOQUE DOMINO,
DOMINO

ADRIANO ADAMO

à *Stammer* /

Domino in Ballenstedt & Wahren, Ditionis
Rammelburgicæ Dynastæ;

Ordinis Johannitici Equiti multò Spectatissimo,
Sereniss. ac Potentiss. Regis Poloniae & Electoris Saxon.
Consiliario Gravissimo,

Ejusdemq.

in Provincia Quedlimburgensi Præsidi

atque

Legato Perpetuo

Splendidissimo:

DOMINO, PATRONO, STUDIORUMQUE PRO-
MOTORI demissè venerando

Hasce Studiorum Academicorum Primitias

grati devotique animi testes


unà cum genuinæ ac perennantis felicitatis voto integerrimo

submissè offert

conatus studiaque sua ulterius commendaturus

Joh. Hauboldus ab Einsiedel.





Prooemium.

§. I.

Raros admodum nostra majorumque ætas protulit Principes, qui cum civilibus negotiis sacrorum curam conjunxerunt. Relinquunt pleriq; talia Ministris, atque ad homines inferioris conditionis spectare arbitrantur; nec digna adeò habent personis illustribus ea, quæ ad ipsam summam divinamque Majestatem colendam atque honore prosequendam faciunt. Equidem suis laudibus non fraudaverim illos, qui ex sublimiori ordine, nostris ac superioris sæculi temporibus, ad eas persusceptam veritatis defensionem, per promulgatas novas leges, ceteraque instituta adspirarunt. Varios illi conatum fines, diversos sæpe actionum eventus habuerunt, nec bellis ac pugnis dubitaverunt destinata exequi; rectene verò ansecus, alibi fuerit dispiendum.

II. At enim verò qui ad res sacras promovendas suismet conatibus studiis & laboribus sunt aggressi, qui discendis docendisque, amplificandis ac tuendis ipsi incubuerunt, sanè numero suo Nili ostia haut exquant. Commendant mediævi monumenta *Johannem* quendam *Megapolitanorum* Dominum ac Ducem, eumque *Theologi* nomine insigniunt, quòd & pietatis & rerum divinarum scientia ceteros omnes longè post se reliquerit. Verum ejusmodi illa laus sit, vel ex eo

E-

O

ionis

no,
saxon.

PRO.

imo



sapiens quilibet intelligit, quod miseram & depravatam Pontificis Romani doctrinam armata vi bellisque ac sanguine propagavit, atque sigillatim unà cum filio Henrico Livonis gravis molestusque exstitit. (a) Nimirum Antichristi ille genuinus fœtus est, à sociis non elatus solùm ad cœlum, sed ad imitationem quoque ab aliis propositus, emendatiora ceteroquin professis.

(a) David Chytræus *L. III. Saxon. p. 75. Conf. de ista violenta Livonia conversione* Alb. Cranzius *LIII. Sax. c. 13. & 14.* Balthasar Russovius *in Chron. Liv. præf. & P. I. p. 4.* Bonfinius *Dec. II. Rer. Hung.* Guagninus *Tom. I. Descr. Livon.* Bangertus *ad Helmoldum,* Hermannides *in Hist. Suec.* Hartknoch & plures.

III. Tales superiorum temporum Principes etsi religionis nomine maximè communiter commendatos, si cum Principe Anhaltino Georgio conferamus, parum supererit, quo probitas ipsorum ceteraque decora magnopere se tueri possint. Admovit is ipsemet mentem manusque operi divino, nec erubuit sacris operari & publicè docere Evangelium, quod labente postea sæculo miraculi instar posteris sunt admirati. Habent enim hoc insolitæ actiones, ut, dum fiunt, sinistris malevolorum judiciis sint subjectæ, sedatis deinde animis & quasi ad sobrietatem longo temporum tractu perductis tantum non inter divina collocentur. Monstrat sæculi nostri ratio, quid futurum sit, si quis nostrorum temporum Princeps, aut solummodo nobiliori genere progenitus sustineat aut ipse ex cathedra docere; aut ceteris muneribus, quæ sacra nominantur, perfungi, animum à Deo instructum applicet. Et tamen admiramur pariter ac prædicamus institutum egregium Georgii, neque illud persona culmineque Principum,

cipum, quos ut Laicos longè infra se dejecerat Clerico-
rum fastus, indignum esse consensu omnium judicamus.
Multò autem magis ab iis, qui Romani Pontificis aucto-
ritatem sectantur, hoc instituti genere superamur, inter
quos quidem omnium rerum abundantia atque ipse
dignitatum Ecclesiasticarum splendor, Reges Princi-
pesque ac Nobiles innumeros ad ejusmodi vitæ genus
invitare solet. De Canonicis enim hodiernis nihil mo-
veo, qui apud nos sibi de pristinis opibus fastuque ac
luxuria nihil plerumque patiuntur derogari, neque Ro-
manorum Sacerdotibus, fruges consumere natis, inertiam
cedere videntur: tantum abest, ut à sacrorum blasphem-
a & inepta tractatione ignobile sibi nomen metuen-
dum habeant. Illud mihi de Georgio Anhaltino cer-
tum exploratumque est, & divino candore, & serio pie-
tatis veritatisque studio & sapientia ac ceteris virtuti-
bus Doctore Ecclesiæ dignis tantum non omnes suo-
rum temporum æquasse, plures etiam superasse. Qua
in causa ad testes domesticos & coævus *Melanchthonem*
(b) *Joachimum Camerarium* (c) tum *Melchiorum Adamum*
(d) ac novissimos *Eliam Veielium* (e) *Seckendorffiumque* (f)
provoco, neque alios insignes Principes multis comme-
moro. In his quidem fuit quoque *Georgius, Marchio*
Brandenburgicus, quem *Annales majorum* pium libera-
lem & moderatum atque emendationis cultus inditio-
nibus suis instauratorem magno consensu collaudarunt.
(f) Alter superiori sæculo claruit *Georgius, Hassiæ Land-*
gravius, Philippi filius, Darmstadiensis lineæ Conditor at-
que Parens, & à posteris justitiæ, prudentiæ probitatis-
que sinceræ encomiis condecoratus, quin ab hac *Pii*,
quoque cognomine insignis: quod adeò inter Principes
rarum est, ut peculiare titulum apud paucos præbeat

) 6 (

argumentum. (g) Etenim ejusmodi rerum Dominos ista quidem tempora plures habuerunt, qui apud posteros, permessa Religionis libertate, famam atque estimationem sunt consecuti. Non de sunt tamen exempla illorum, qui institutis quidem majorum, prout à Romanis diriguntur, pertinaciter inhæserunt, sed curâ tamen sacrarum rerum non abjecta ipsimet causam earum sollicitè & constanter, quamvis impari successu vel laude etiam posterorum, peregerunt. Insignis inter hos ad memoriam omnium temporum fuit *Georgius Saxo*, Princeps non minus magnis laudibus, quam quorundam vituperiis notatus, cujus historiam peculiari opera enarrare mihi animus est, qui in hisce literis, & patriæ maximè monumentis, jam sub initium studiorum Academicorum versor. Quandoquidem illa sincerius scrutari atque è latebris, quibus immersæ sunt, protrahere in lucem magis necessarium existimo, quam captare solùm peregrina & quæ inter externos geruntur, per superstitosam sollicitudinem admirari, neglectis, quæ domi habentur, sapientiæ probitatisque ac vitiorum quoque luculentissimis exemplis.

(b) *Orat. pecul. in laud. ejus Tom. IV. Orat. p. m. 597. & seqq. & in Operibus Georgii ipsius* (c) *In Vita Georgii nuper Lipsia recusa.* (d) *Libro de Vitis Theologorum p. 245. seqq. Adde Abrah. Scultetum P. II. Annal. p. 371. seqq.* (e) *Historia & Necessit. Reform. Evang. ex scriptis Georgii exposita in Proæmio* (f) *Com. de Luther P. III. Sect. 30. §. 117. p. 498.* (ff) *Vid. Chytræus L. I. p. 39. Seckendorff L. II. §. 17, 42, 60. atque omnino Caspar à Lilien* (g) *Vid. Chytræus L. XXI. p. 908. Conf. de Parente Thuanus L. XXXIX. pag. 815. Sleidanus, Seckendorffius, Scultetus, Hortlederus passim.* IV. Ha-

IV. Habiturus autem veritatis historicae ratio-
nem, procul partium studio, summam rerum gestarum
prosequar. Neque adeo illis per omnia adstipulabor,
qui ob magnas longasque cum Luthero disceptationes
etiam quævis laude digna abjiciunt, aut extenuant vel
supprimunt, & delere ex memoria hominum aggredi-
untur. Nemo itaque miretur, si veri tenax optima
quævis seligam; maximè cum in medio habeantur te-
stimonia eorum, qui non laudem modo simpliciter Ge-
orgio nostro tribuerunt, sed ipsam etiam æternam salu-
tem, modestiâ & charitate christianâ rationibusque
jam proferendis per moti, non abjudicarunt. (h) Quem-
admodum neque cordatorum confessiones desunt,
quibus ea, quæ ceteris iniquiora quodammodo visa sunt,
graviter expendunt, & modestiæ adeo, prudentiæ ac
pietatis encomiis Principem non penitus defraudant.

(h) Ita Augustus Elect. Sax. in der Policen Ordnung
anno 1555. p. 65. der hochgebohrne Fürst / Herr
Georg / 2c. unser freundl. geliebter Better / seeli-
ger Gedächtniß. Georgius Fabricius in Epitaphio
apud Paulum Jenisium Hist. Annab. Lib. II. p. 23.

Sub Duce lætatu vixisti, Misnia, semper:
Cui des æternos vivere, Christe, dies!
Perinde atque Joh. Agricola Sprembergensis in
Imag. Saxon. VVittebergæ 1563. excusis encomium illius
morte absolvit, abeuntemq; ad Deum descripsit.

CAPUT I.

§. I.

IN recensendo natalium splendore non magnopere
Imorabor, quos, nisi præstantiora accedant, cujusvis
etiam indignissimi esse à Sapientibus ex vero existima-
tur.

) 8 (

cur. Editus autem est genere Saxonum antiquissimo, profapiamque suam è longè remoto Marchionum Misnicorum genere deduxit. Proavum (ut ceteros ob longiores ambages silentio prætermittam) habuit *Fridericum* Bellicosum, qui propter singularia in Imperium merita, ab Imperatore Sigismundo A. M CCCC XXIII. Septemviralem dignitatem Saxonicae Domui primus inseruit. Hic avum Georgio dedit (è Catharina, filia Ducis Henrici Brunsvicensis) *Fridericum* II. Principem Placidum; cui *Margaretha*, *Ernesti Ferrei Austriaci* Archiducis filia, *Friderici* III. Imperatoris soror germana, *Ernestum* & *Albertum* Georgii Nostri Parentem procreavit. Is verò Animosus audiat, *Sidoniamque* seu *Zedenam*, Bohemiae Principis *Georgii Podebrazki* filiam duxit, ex qua *Georgius* anno Sæculi XV. primo supra septuagesimum fuit procreatus.

II. Nondum verò adoleverat, cum doctissimis viris & maximè solitariam vitam professis demandatus est, qui, prout istorum temporum ratio habuit, eundem literis instruxerunt, quarum peritiam, & Latinarum maximè, deinde sæpius commonstravit. Et enim Lipsiæ familiaris & arctius cum eruditis conversatus fuit, & gesta Patris sui volumine singulari, nec absque indolis accuratioris speciminibus prosecutus: quo *Georgium Fabricium* in *Commentariis* suis *Historicis* multum adjutum esse accepimus. Insuper ætate adhuc teneriori gravioribus negotiis adhibitus, & quasi tyrocinio futuri regiminis defunctus est.

III. Implicatus fuerat Parens turbis in Frisia exortis, quo sub finem Sæculi XV. ab illius incolis evocatus, suasu Austriacorum, suaque latius dominandi cupiditate, ut sunt affectus Principum sæpius pravi & infausti,

infausti, commigraverat. Verum exorto difficili bello, repugnante indomita natione, multis magnisque periculis defungebatur; ut parum abesset, quin alterum, quem ibi reliquerat, filium per hostium crudelitatem amitteret. Reversus itaque Albertus, Frisios immani strage edita perdomuit, Henricum ab iis Franekeræ obsessum liberavit, deniq; ipse anno quingentesimo supra millesimum in obsidione Groningensi decessit. (i)

(i) Videatur Georgius Fabricius *Orig. Saxon. L. VII.* David Chytræus *L. VI. Sax.* Isacius Pontanus *L. XI. Historia Geldrica ad hos annos.* Pontus Heuterus *L. VII. Rerum Belgicarum &c.*

IV. Interea Albertus filio primogenito patrias ditiones gubernandas reliquerat, qui non absque auctoritate, atque ipsorum subditorum amore Patris personam sustinuit. Tum verò opportune Misnia uberimas argenti venas aperuit, Dominosque suos egregiè locupletavit, ac imprimis Alberto Duci animum viresque addidit, ut bellum in Frisia eò pertinaciùs persequeretur. Ita Georgii tempora incrementis patriæ illustrata sunt, conditis hinc inde novis oppidis ac vicis: speciatim Annæberga ex illis metallorum proventibus exstructa. (k) Ad quam felicitatem humanitas Principis juvenis & clementia accessit, qua sibi omnes magno-pere devinxit, auditis supplicantium querelis, causisque omnium suorum promptissimè expeditis. (l) Qua quidem laude neque illi Principem private potuerunt, qui ceteroquin in Religionis negotio difficilem sunt conquesti.

(k) Jenifius *l. c. p. 23.* Petrus Albinus *in Annal. Misn.* G. Fabricius *aliq.* (l) Matthæus Dresserus *Millen. VI. P. II. p. 451.*

B

IV, Pa.

IV. Patri verò imprimis exinde percharus, anno jam ætatis vigesimo eundem ad Comitia Noribergensia comitatus est, ibique, ut ferunt, Imperatori Frederico III magnopere sese commendavit. Paulo post Maximiliano I Proceres Imperii ad Comitia Wormatiæ celebranda evocante ipse cum suis fuit præstò, atque ad consilia publica adhibitus est. Postea cum domi quietus ageret, conjugio sese addixit, ductâ Casimiri Polonorum Regis filiâ, Barbarâ nomine, quam denique anno conjugii octavo & trigesimo amisit.

V. Non diu tamen pacato & securo esse licuit, inclinatis subinde hominum animis ad excitandas turbas, ad sanguinem fundendum, ad omnia denique miscenda atque conculcanda: ut tali rerum statu vindictæ curam, ex paganorum disciplina derivatam, ceteri sibi incumbere existimare soleant. Quæ à Christi legibus moribusque alienissima opinio, depravatâ dudum Ecclesiâ, per Clerum Romanum Principibus inculcata fuit. Ut nec Georgius noster Religioni sibi duceret, tot cruenta gravissimaque bella excitare pariter atque conficere. Non meminerim turbarum leviorum, quas anno secundo superioris sæculi duo Nobiles, rectius latrones, in ditionibus ejus dederunt, nominatim Georgius Guttensteinus & Eberhardus Brandensteinus. Isti infesto adversus Georgium animo Bischoffsvverdam dolò occuparunt, & quinquaginta fermè civibus primariis in vincula coniectis abductisque, oppidum diripuerunt. (m)

(m) Georgius Fabricius *L. VII. Orig. p. 844.*

VI. Major rerum vicissitudo ex bello Frisio impendebat, quum anno MDIV. contractis copiis tumultuantem nationem magno cum exercitu per Burgundiam

diā peteret, belloq; fatigaret & compescret. Quam-
quam eā victoriā non diu fruebatur, quod Dux exerci-
tus ejus, post diuturnam urbis Groningæ obsidionem,
crudeliter in captos quosdam cives animadverteret;
quippe quos, quia redemptioni suæ impares essent, au-
ribus & naso præcisis in urbem remisit. Sic alienatis
Groningensium animis anno M D VII. Eccardus Co-
mes excluso Saxone illā provincia potitus est. Unde
funestum ac tetrum exarsit bellum, Saxonibus interea
multos tumultuantium socios ultimo afficientibus sup-
plicio, atque ultra viginti sex arces atque vicos igne fer-
roque devastantibus. Sed & ipse Dux Georgius anno
M D XIV exercitum novem millium eduxit, ingentem-
que agrestium copiam primo impetu trucidavit, multis
quoque oppidis occupatis & direptis. Maxime verò
Groningensibus tota belli vis incubuit, quam urbem à
Saxonibus diu frustra obsessam, denique ab Eccardo de-
relictam ab illis ægrè occupatam legimus. Damam verò,
alterum Comitum munimentum Henricus Junior, Dux
Brunsvicensis occupavit, inque cives & milites præsidia-
rios barbaro prorsus more grassatus, ultra millia viro-
rum fœminarumque confossit. Factum hoc fuit ad
ulciscendam Henrici Patris necem, in obsidione arcis
alicujus, cui Ordi nomen erat, occisi: perinde atque
ejusmodi magnorum latrociniorum exempla atque im-
primis vindictæ cupiditatis ubivis occurrunt. (m)

(m) Videantur Auctores dicti: Pontanus, Fabricius,
Chytræus, add. Johannes Funccius Chronol. ad
annum M D XIV.

VII. Ad hunc modum Groningenses acerbo vi-
ciorum exemplo perterriti de pace deliberarunt:
Georgio autem arcis ab Eccardo exstructæ demolitio-
nem civibus negante res illico ad novos motus spectare

visa est. Qua in re Cleri imprimis astutia & πολυπραγία
 μωσόνη apparuit, quando Pastor quidam Wilhelmus à
 civibus ablegatus Principi obedientiam omnem perti-
 naciter ac publice denegavit. Hujus sine dubio alio-
 rumque instinctu Carolus Geldriæ Dux ad defenden-
 dam adversus Saxones Frisiam delectus est, qui Gallo-
 rum copiis adjutus multa illorum oppida in Frisia occi-
 dentali celeriter occupavit. Igitur Georgius abjectâ
 demum retinendæ Frisiae spe, cum Carolo Burgundo
 per Legatos transegit, suoque & fratris Henrici nomine
 Frisiam ita concessit, ut pro abdicato in eam jure aureo-
 rum ducenta millia persolverentur. Sic ex infesta re-
 gione Noster per Westphaliam in Misniam suam rever-
 sus suis que redditus est, tantò huc usque sanguine utrin-
 que in cassum perfuso atque per tantillum auri pretium
 compensato. Certè hoc ipsò documentum ex capite
 prudentiæ civilis dedit Principibus, quàm parùm tutum
 esse soleat, provincias longius distitas & feroces insuper
 ac infidas suscipere gubernandas, vel adhuc subjugan-
 das, maximè iniquioribus vicinis. Conferendi hic *Ubbø*
Emmius L. XXXVII. & XXXIIX. *Rerum Fris. Pontanus*
 L. XI. *Hist. Geldr.* p. 66.

VIII. Non defuit tamen alibi occasio bellorum,
 quæ mali genii per invidiam truculentiamque miseris
 mortalibus nunquam non excitare solent. Aliquoties
 nulla adductus necessitate vicinis auxilio præsto fuit:
 sigillatim oppidum Ellenbogam adversus Comitem
 Nicolaum Schlikium anno MDV. tumultuantem ob-
 sidione ad officium coëgit. Insuper post bellum in Fri-
 sia compositum anno MDXIX Ducibus Brunsvicen-
 sibus auxiliares copias submisit, quæ Johannem Episco-
 pum Hildesensem in ordinem redigerent. Sed pau-
 cissimi

eiffimi militum incolumes sunt reducti, reliquis à Præ-
 fule victoriam consecuto miserè confectis atque truci-
 datis. (*Vid. Justinus Goblerus apud Schardium Tom. II. pag. 81. Rev. German. Chytræus Lib. VIII.*) Cum primis
 verò ad posteros memorabile est bellum adversus homi-
 nes agrestes à Duce Nostro unà cum Electore Johanne,
 Philippo Hassiæ Landgravio, Ducibusque Brunsvicen-
 sibus gestum & confectum. Illos auctoribus præser-
 tim Thoma Müntzero & alio Pfeiffero contra Magi-
 stratum insurgentes, in Thuringia ad Francohusam
 magna clade fusos ac fugatos, partim supplicio affece-
 runt, partim impertita venia res suas agere jusserunt.
 Ubi quidem causa publica & commune periculum
 Principem cum iis conjunxit, quos ceteroquin diverso
 religionis nomine seriò averfatus erat. Haut secus atq;
 aliàs in reliquis adversus Anabaptistas actionibus Pon-
 tificii pariter ac Reformati cum Lutheranis raro & me-
 morabili consensu conjuncti fuerunt. Verum de isto
 civili bello Scriptores superioris Sæculi, inprimis *Slei-*
danus, Chytræus, Melanchthon, Lutherus, Spangenbergius,
Scultetus, Auctor Paralipomenon ad Urspergensem, Crusius
 aliique apud *Freherum & Schardium* consulantur.

CAPUT II.

§. I.

ATque hæc res à Georgio in Republica gestas ob
 oculos ponunt, quibus bonus ceteroquin Princeps
 miserrimè distractus ac pravis sæculi sui moribus quasi
 turbine quodam abreptus est. Sacerdotum certè suo-
 rum ac Ministrorum assentationibus delinitus quidem
 & deceptus, conscientia tamen parum tranquillus ex-
 stitit aut incontaminatus.

ligionis negotio mox planum fiet, in civilibus quoque à ministris seduci se passus, multa alieno, paucissima suo arbitrio instinctu ve suscepisse putandus sit, cujus animus alioquin DEI rectique amans ab Auctoribus collaudatur. Communi scilicet Principum plurimorum eaque satis misera conditione, qua libidini non raro nutuique eorum, qui à consiliis esse perhibentur, multò arctius firmitusque alligati sunt, quàm abjectissimum quodvis mancipium tyrannidi fastuique Prætorum atque Legatorum supercilioso parere consuevit. Ut parum absit, quin ipsæ adeo communes Reipublicæ & Ecclesiæ calamitates, inauspicatis ejusmodi suasoribus, Sacerdotibus non minus atque Aulicis, acceptæ referendæ sint.

II. Qui hæc ceteraque jam proferenda cum cura ponderaverit, tantum abest, ut is ob ea, quæ adversus Lutherum inclementius acta sunt, indignetur; ut omni potius culpâ in Cleri Romani fraudes malitiamque Ministrorum devoluta, ipsi Principi horum causa condoleat pariter atque facilè ignoscat. Age enim jam in characteres ipsius indolis inquiramus, atq; ex factis non minus quàm monumentis Auctorum dotes animi sensaque intima & recessus paulò penitus inspiciamus. Sic enim fiet, ut sententiis durioribus nemo facilè offendatur, neque defraudentur ea, quæ recta bonaque sunt, suis laudibus, cetera salubri ad posteros exemplo fœditati suæ permittantur. Quæ narrandi ratio omnium, ut opinor, optima Reip. sacræ pariter atque civili accommodatissima, tum conscientiæ tranquillitati salutaris videtur.

III. Initio itaque animus ejus sincerus erectusque satis exploratus est, adeò quidem, ut innumeros, in eodem fastigio constitutos, fidei atque probitatis laude
longi.

longius post se reliquerit. Erat in eo erga Summum Numen insignis reverentia sensusque pietatis, quantum instituta majorum, satis illa quidem misera, suggesserunt. Etsi non negare audeam, ipsam etiam divini Spiritus gratiam in ista extrema temporum caligine non defuisse, in quantum ea quidem per tot errores ac præjudicia non fuit impedita. Dignum enim memoratu est, inter querelas scriptorum, inclementiam fervoremque ejus accusantium, nullam luxuriæ, libidinis, iniquitatis aut ceterorum criminum mentionem fieri, quæ hominibus summo loco natis haut rarò familiares esse solent. Contrà verò sobrietatis, modestiæ, liberalitatis ac imprimis candoris specimina non contemnenda prostant.

IV. Meminerim saltem hîc illustris testimonii, quod vir superiorum temporum prudentissimus, atque is quidem Lutheri amantissimus de Georgio scriptum reliquit, quo illum *justitiæ & integritatis observantissimum, recti præviq; haut malè intelligentem* laudare non dubitavit. (o) Loquitur insuper effigies Ducis genuina, aliquid erectum, sincerum, amans veri & fucum omnem fraudemque detestans & procul à se constituens: quamvis, quæ naturæ depravatæ labes est, obstinatum simul & propositi tenacem animum frons oculique subindicent. Quod alii assentandi causa constantiam & firmitatem in omnibus interpretati sunt, eumque insuper à forma habituque virili *Barbatum* cognominarunt. (*Vid. effigies ejus accuratius expressa apud Hortlederû P. I. L. II. c. 2. p. 780. Joh. Agricola loc. cit. Sächs. Helden-Saal / & alibi.*) Quin etiam, si sapientum judicio stamus, oratio scriptaque ejus eandem indolem declarant. Ne dicam in iis ejusmodi confessiones animi indices occurrere, quæ timentem DEI, deque salute æterna sollicitum, idque

absque simulatione & hypocrisi comprobare queant. Unum saltem commemoro, quum is anno M D XXI Johanni agnato suo in causa Reformationis scriberet, inter alia pacis & concordiae argumenta mortem quoque propinquam allegasse, qua sese ad pacis studium commoveri paterentur: *Testantur*, inquit, *barba & pili nostri* (canitie nempe sua & raritate) *nos omnes jam ad finem vitae propius accedere* (Sie wären alle im letzten Viertel.)

(o) David Peifferus *Lib. III. Lips. pag. 368.*

(p) Seckendorff *L. 1. Comment. de Luth. Sect. IV. §. 120. pag. 217.*

V. Non tacent Scriptores memorabiles ejus virtutes, ac imprimis munificentiam clementiamque prædicant; quin & Lutherus ipse eandem in disputatione Lipsiensi copiosè demonstratam & expertus est & gratus meminit. (q) Atque ex adversa parte Johannes Eccius non minus eam prædicavit. (r) Etsi verò non defuerint, qui per calumniam tenacitatem exprobrarent; illa tamen ab obitu ejus vel maximè evanuit, quum minorem, quàm pro communi opinione, pecuniæ summam relinqueret, cujus maximã partem in Clerum in talibus omnium avidissimum impendisse dicebatur. (s) Qua in re licet inani superstitione ductus fuerit, superavit tamen plures alios: perinde atque dignitatis suæ culmini nihil derogare existimavit, si summam in quosvis humanitatem declararet.

(q) Lutherus *Tom. I. Jen. Lat. pag. 294.* (r) *Epist. ad Ingolst. apud Seckendorff l. c. p. 85.* (s) *Ibidem pag. 239.*

VI. Produxi antea Historicorum fidem, quam de clementia ejus & humanitate in subditos faciunt (si illa in quosdam Lutheranos acerbiora consilia excipi-
antur;

antur. (t) Alii quamvis Pontificiæ Doctrinæ asserto-
rem nominent, *moderatum* tamen & *clementem Principem*
simul sponte nec invita veritate collaudant. (u) Quò
spectat Epitaphium publicè conscriptum, quod inter
alia hæc habet:

*Floruit atque Ducum gloria rara fuit
Consiliis animoque simul maturus & annis,
Conspicuus bello conspicuusque toga.
Plus tamen exornans optata commoda pacis
Odit sanguinei flebile Martis opus. (x)*

Porro etiam rari admodum & notabilis exempli fuit,
quum in memorata Lipsiensi disceptatione Potentissi-
mum hunc Principem inter Theologos assidere non
pœniteret, eosque per aliquot dies de religione disse-
rentes audire attentè, usque tum malevoli quidam
eum abstraherent, ne animus veritatis amantissimus
fraudes Pontificias subodoraretur. Nihilominus tamen mi-
nus tunc ipsum Martinum Lutherum, Andream Caro-
lostadium ac Philippum Melancthonem ad prandium
honorifice invitavit, maximè verò Lutherum deinde
separatim & humanissime est allocutus, Qui etiam
aperte postea asseveravit: Ducem illum, quoties inge-
nio suo uteretur, omnia Principe digna facere, ac pro-
inde graviter dolendum esse, quod ea sequi soleret,
quæ à malevolis subjicerentur. (y) Atque hanc hu-
manitatis viam tum ante illud tempus, tum post, pri-
usquam adeò exacerbatus est, strenuè tenuit. Prouti
Lutherum & Doctoris & Viri celeberrimi titulo ali-
quando insignivit. (z) Comendavit insuper Joachimus
II Elector Brandenburgicus hujus soceri sui moderata
consilia, *abhorruisse eum* scribens *ab injusta sævitia, justitiæ
fuisse amantem, nec moderationem illam habuisse vel pro seces-*

sione ab Ecclesia vel sejunctione à superioribus vel à reliquo nomine Christiano. (a)

(r) Dresserus l. c. (u) Jenisius l. c. (x) Georgius Fabricius l. c. (y) Peifferus l. c. pag. 382. (z) Epist. ad Elect. apud Seckendorff. L. I. Sect. 27. §. 64. (a) Ep. ad Sigism. Poloniae Regem apud Melanchthonem Vol. I. Ep. 55. Add. Tom. IX. Altemburg. pag. 136.

VII. Qui præterea ante excitatos animorum motus actiones Geotgii sincere ponderaverit, is non poterit non serium veritatis cognoscendæ dijudicandæque studium aperte satis agnoscere. Laudavit ipse Lutherus in memoratis literis naturam ejus optimam, atque alibi conqueritur, & indoluisse profitetur, *optimum & pientissimum Principem* (sunt hæc ipsius Lutheri verba) *alienis ita patere & parere affectibus, quem viderit & expertus fuerit satis principaliter loqui, quando sua loqueretur.* (b) Alii similiter partium studia sub initium certaminis Lutherani procul ab eo fuisse clare pronunciant, contra erudæ veritatis abditæ studium animo illius insedisse, atque ex eo institutam esse celeberrimam istam Disputationem Lipsiensem, ubi sane inclinatio ejus omni ratione fovenda fuerat atque confirmanda. Exstant adhuc voces Principis satis liberales & ingenuæ, quales à viro bono haut aliter expectes. Scripsit in Epistola quadam ad Lutherum inter alia ejusmodi, quibus professus est, sibi illius scripta primum ex parte satis placuisse, neque sese invitum auscultasse Disputationi Lipsiensi, adductum spe emendandorum abusuum inter Christianos. (d) Ac retulit ipse Lutherus aliquando sermone familiari, Georgium hunc Erasmo, propter ambiguum de Religione responsum, indignatum

tum contestatumque esse, sese in Witebergensibus ,,
apertam loquendi rationem probare, Erasmi autem ,,
detestari ambages. (e)

(b) L. I. Epist. Ep. 224. ad Spalatinum scripta. (c) Tom.
VIII. Alt. p. 964. in Append. (d) Peiferus
l. c. n. 27. (e) Verba Lutherus hæc refert: Lieber
Erasme, wasche mir den Belsz und mache mirn
nicht naß. Ich lobe doch die von Wittenberg/ die
behalten doch kein Mehl im Maul / sondern sagen
frey und redlich herauß wie sie es meynen. Apud
Joh. Matthesium in vita Luth. Concione VIII. p. 84.

VIII. Tradunt monumenta majorum, Nostrum
primis temporis oracula divina adeò sollicitè & ardentè
complexum esse, ut à Johanne Staupitio aliquando do-
ctum piūque oratorem sacrum literis expetierit; ubi
verò singulari consilio Lutherus, tum adhuc valde igno-
tus, huic operæ sit destinatus. Cujus quidem sermo-
nes haut ausus fuerit reprobare, sed illud saltem mo-
nuerit: *Doctrinam tunc à Luthero propositam non viventibus
quidem, sed jam in agone constitutis convenire; se verò magnâ
redempturum pecuniâ, talem non audivisse concionem, qua ho-
mines temerarios faceret & securos.* (f) Quæ Principis sen-
tentia modestum pariter & à securitate abhorrentem
animum monstrat, quippe qui sapienti instituto pru-
dentem Evangelii dispensationem requisivit. Haut
aliter atque multræ ejus actiones singulare pietatis in-
staurandæ atque amplificandæ studium lectoribus in-
culcant. Liceat hic aliquot specimina seriæ & absque
personarum, etiam Ecclesiasticarum, respectu susceptæ
correctionis commemorare, ex quibus intelligi possit,
non illum absurda quævis & impia Cleri Romani ausa
probasse, multo minus defendisse. Ut enim taceam

quod illustris Scriptor observavit, homini cuidam sacrum munus ab illo in aula sua commissum perque tres annos continuatum esse, quem tamen Lutheri discipulum aperte noverat. Imo is ipse, qui Alexius Crotnerus fuit, in allocutione sua Anno 1531. veritatem ab illo agnitam & publicè promulgatam, sed tamen antiquis adhuc erroribus suppressam conquestus est, quod de communione sub una dictus Auctor explicavit (g) Sanè nonnunquam suosmet Clericos graviter repressit horumque emendationem cum cura urfit & aggressus est.

(f) Vid. Georg Fabricius *L. VII. Orig. Saxon. p. 859.*
 Antonius Weckius *in Annal. Dresd. p. 306. Auctor
 Aulei Saxon. p. 498.* (g) Seckendorff *L. II. p. 93. &
 in Supplem Ind. 1. n. 6.*

IX. Cum Adolphus Episcopus Merseburgicus disputationi Lipsiæ instituendæ refragaretur, Dux liberè satis & prudenter rescripsit: Mirum nempe sibi videri, quod ab antiquo veritatem investigandi modo adeò alienus sit. Cum tamen omninò profit, ut exorta jam disceptatio inspiciatur, num animæ, simul ac nummi pro indulgentiis soluti in pelvi sonent, ex purgatorio emittantur: vel annon miseri homines ita pecunia sua emungantur. Apparere autem, quod Episcopus homuncionibus levissimis & tamen superbis nimium faveat, qui jam ante pugnam fuga sibi consulant. (h) Quæ sanè cum ceteris cordatum & liberum Georgii animum aperiunt, qualem & illa epistola ad *Petrum Paulum Vergerium*, tum adhuc Legatum Pontificium, perscripta prodit. Indignatur enim & optat, ut literas Pontificis ad Principes & Ordines circuli Saxonici nunquam oculis usurpasset, quippe quibus

quibus sapientiores magnopere offensum iri vereatur. Denique Pontificem admoneri vult, ut saniora consilia rejectis pejoribus amplectatur, si Pastor bonus esse velit. (i) Præterea mirum est, quanta cum cura in depravatos cleri mores subinde animadverterit, ac pro modo cognitionis suæ illis studuerit menderi. Qui animi ardor in se satis bonus quantopere in aliis rerum Dominis evanuerit, memoria temporum testatur. Ille verò, ut saltem aliqua proponamus in medium, anno M D XXXVII. in conventu Lipsiensi miserum Monasteriorum statum Proceribus ditionis suæ exposuit, ac deinde ad consilia Clericorum frigida nec sufficientia ita respondit, ut doceret: Monachos otio indulgere, atque inde vitiis pluribus esse contaminatos. Maximè verò visitationes absurde institutas conqueritur, sumptus in Prælatos, ut vocant, Visitantes nimios impensos, qui à visitandis magno deliciarum apparatu probè deliniantur. Vitam Abbatum & Monachorum luxui libidinique deditam esse, nec tamen à superioribus emendari, ægrotos miserosque à protervis pastoribus negligi, neque visitari, nisi & ipsi gulæ indulgeant. Talia verò exempla inferiores in Præpositis suis observare, atque inde omnia pessum ire &c. (k)

(h) Apud Zachariam Schneiderum L. IV. Chron. Lips. p. 168. (i) Apud Seckendorff. L. III. Sect. VIII. §. 26. p. 208 (k) Apud Justinum Pertuchium Chron. Port. L. I. c. 3. p. 210. seqq. Vbi hæc Georgii verba tersa & circumspecta notari merentur: Ist der Prälät ein Prasser/ein Buler/ so lernen es die Brüder auch/ denn man spricht: wenn der Prälät Würffel aufflegt/so spielen die Brüder. Es wäre nöthiger/der

Patient vifitirte den Vifitatore, und ftraffte ihn / denn daß er vifitiret würde. Der Vifitator ift ein ruchlofer Mann / er wolte daß der Patient auch ein Praffer wäre und hülfte ihm.

X. Haut in tempeftivum aut absurdum fuerit, referre huc narrationem, quæ animum Noftri non minus à fraudibus Cleri alienum oftendat, idque verbis auctoris ipfius *Georgii Arnoldi* Cancellarii Zizenfis: (l)
 „ Cum Lipfiæ effet Tezelius & multam pecuniam à ci-
 „ vibus & Nobilitate corrafiffet, convenit eum Nobi-
 „ lis quifpiam, fraudem ejus fubodoratus, & ex eo quæ-
 „ fivit, an abfolutionem impertiri poffet de peccato,
 „ quod in animo fibi propofuiffet? Respondit Tezeli-
 „ us, fe id poffe, fed accepta pecuniæ fuma parata.
 „ Nobilis nihil cunctatus quod popofcerat folvit, & in-
 „ dulgentiarum diploma pro crimine deftinato Teze-
 „ lii manu & figillo firmatum accepit. Non multo
 „ poft cum Tezelius Lipfia difcederet, Nobilis explo-
 „ rato ejus itinere loco commodo illum per infidias
 „ adortus nummis fpoliat, & fufte infuper probè de-
 „ dolat, vacuumque Lipfiam dimittit, indicans, hoc
 „ effe illud peccatum quod in mente habuiffet, & pro
 „ quo veniam impetraffet. Georgius Dux Saxonix
 „ intellecto facinore commoveri primum cœpit, indi-
 „ gnatus quod viro Ecclefiaftico, quem non parvi facie-
 „ bat, in fua regione & à quodam ex fubditis fuis, ea
 „ contumelia illata effet Sed poftea intellecta rei ferie
 „ placatus fuit, & nullam Nobili pœnam itrogavit.
 (m) Sed ut manifefto appareat, Georgium publice quo-
 que emendationem flagitaffe, commemorabo hic ejus-
 dem *gravamina*, quæ in Comitibus Wormatienfibus ex-
 hibuit, quamvis tunc ab Electore institutisque Lutheri
 aperte

apertè dissideret. Primum queritur de Annatis à
 Pontifice exactis & per luxuriam dilapidatis. II.
 Pontificis aulicos novas subinde leges excogitare,
 quibus beneficia Ecclesiastica sibi ingenti cum lucro
 vendicent. III. Multa prohibita per solutam pecu-
 niam relaxari IV. Pontifices Clientibus suis jura be-
 neficiorum Ecclesiasticorum in antecessum permit-
 tere. V. Stationes s. indulgentiarum nundinas au-
 geri. VI. Ipsas indulgentias ad conquirendas opes
 adhiberi, imo omnia Sacramenta vendi. VII. Cau-
 sas civiles ad tribunalia sacra pertrahi VIII. Personis
 innocentibus satisfactiones durissimas imponi. IX.
 Homicidis aliisque & censuras graves & multam
 etiam injungi X. Stupra à Sacerdotibus committi
 XI. Reditus Monasteriorum à Cardinalibus & reli-
 quis proceribus corradi: denique impiam Clerico-
 rum vitam animas reliquorum perdere. Ex quibus
 omnibus concludit: Reformationem universalem
 requiri, verùm in Concilio generali instituendam.

(l) *In vita Mauriti Electoris, manuscripta apud Se-
 ckendorffium L. I. p. 62. (m) Apud eundem p. 146.*

XI. Igitur falsò sibi plures persuaserunt, Ducem
 hunc vel Ecclesiæ Romanæ adeò servili observantia ad-
 dictum, vel ab omni illius emendatione alienum fuisse,
 ut tantum non pro vilissimo Pontificis & Cleri manci-
 pio habeant. Aliud productæ jam illius actiones, ali-
 ud indoles generosa atque ipsa Pontificiorum enormia
 delicta docere possunt. Illam nactus erat Princeps sa-
 tis acrem ac perspicacem & quæ recessus animorum &
 latebras non infeliciter penetraret. Tum verò educa-
 tione satis sollicita atque imprimis interno Numinis di-
 vini ductu venerationem hujus & cultum religiosum in-
 ducerat.

duerat. Quandoquidem verò in majorum suorum institutis atque Pontificiæ Ecclesiæ disciplina vestigia adhuc aliqua religiosi & adstrictioris cultus divini reperisse sibi videbatur: his aliisque præjudiciis etsi falsis adductus ab avia Religione secedere noluit. Neque enim novos illos Ecclesiæ Romanæ atque abusus, quanti etiam forent, tantos esse per errorem putavit, ut omnem cum ea conjunctionem tollerent. Inde verò est, quod Johanni agnato disertè aliquando scripsit. Doctrinam Evangelii sibi jam à quadraginta annis innotuisse, eamque meliorem quàm nunc deprehendat. Ut frustra adeò restitutio ejus jactaretur, præsertim cum absque Ecclesiæ universalis consensu ab homine non laudato instituatur. (n) Quidquid autem sit, certè Principem in expetenda Reformatione Clericorum bonis inhiasse, haut temere dixerim, quod tam acerbæ illius de corruptione querelæ satis confutant. Neque etiam potissimum in eadem molienda diminutionem reddituum Ecclesiasticorum spectasse reor, quod Lutherum aliquando suspicatum esse scribunt. (o) Conferendi potius ejus conatus cum pluribus illorum temporum videntur, qui sententiis atque institutis majorum tolerabilioribus recentis abusus saltem quosdam enormes corrigere studebant. In his, ut Erasmus Roterodamum taceam, Adolphus Episcopus Mersburgicus à Lutheri quidem institutis alienus, ceterum vitiorum inter suos probè gnarus, & tantum non veriore de justitia fidei sententiam amplexus fuit: imo Georgio Anhaltino agnato suo ad pietatem & Scripturæ sacræ studium auctor exstitit. (p)

(n) Apud Seckendorffium L. I. Sect. LIV. §. 130. p. 280.

(o) Jeremias Weberus in Lips. Ev. apud eund. p. 157.

(p) Ibid. L. III. p. 498.

XII. Ejusmodi sensum pluribus tunc temporis inter Pontificios cordatioribus fuisse constat, qui partes quidem Cleri sui non prorsus abjecerunt, quòd religioni sibi ducerent, universum Christianorum cœtum, quem universalem Ecclesiam existimabant, rejicere & condemnare: sed morbos tamen languidæ matris curari percupidè optarunt. Haut secus atque aliàs fieri solet, cum depravatis hominum moribus de necessaria collapsæ disciplinæ instauratione quæstio movetur. Ibi paucissimos rectam & à Deo monstratam emendationis viam ingredi videas. Alios quidem corruptionem non negantes, ast nec tempus nec media idonea adesse contendentes. Alios recta omnia & incorrupta statuentes, improbato omni conatu meliori. Denique nonnullos negotium aggressos, quamvis perversæ rationis ductu ac metu in primis incommodorum in medio cursu sufflaminatos. Illi honori ceterisque commodis suis intempestivè & reclamante conscientia student, nec digni adeò à Deo habentur, qui solidi aliquid & perennaturi audeant & absolvant. Isti præjudiciis innumeris immergi & erroribus antiqua omnia & ipsam adeo naturæ veteris pravitatem mordicus retinent, & adversus renovationem necessariam tuentur. Hi denique tot impediti obstaculis fructus conatuum fere deperdunt ac Georgio non dissimiles apparent.

XIII. Is itaque prudentum oculis sese sistit sensu animi eodem, quo Judæos quondam gentium Doctor occupatos conquestus est. Nimirum diu multumque pro tuendis avitis legibus laborabat, magnoque impetu, sed minus consulto atque explorato, adversus nova quævis ferebatur. Amavit religionem, sed inquinatam amplexus est. Zelo pro ejusdem honore ductus, de-

D. ... stitu

stitutus autem accurata illius cognitione. Inclinauit animus ad integriora, quæ sine dubio percipere licuisset, nisi utrinque impedimenta fuissent objecta, quorum non postrema ab iis repetenda sunt, quibus in illa re negotium fuit.

CAPUT III.

§. I.

DEducimur itaque iusto ordine ad ipsa Principis nostri gesta, quæ Reformationis negotium sigillatim spectarunt. Ubi illum quidem sub initium exorti certaminis instituto laudatissimo solam quæsiuisse veritatem, ex superius dictis abundè constat. Nominatim in eum finem disputationem Lipsiensem ab eo institutam intelleximus, idque, quod probè animadvertendum, refragantibus non paucis ex Clero, quorum tum magna adhuc erat auctoritas, prout illud epistola ad Adolphum jam antea producta docet. Nec parvi in eam rem sumptus impensi sunt, quos animus veritatis explorandæ studio contemnere iussit ac liberaliter ministravit. Id quod adeò verum est, ut Johannes Eccius munificentiam Ducis mirificè commendet, sibi cervum bonum, Carolostadio cervam dono missam commemorans, præter illa prætiosiora munera reliquis impertita. (a) Spectavimus insuper Cap. II, n. 7. Principis humanitatem Luthero commonstratam, ubi pariter memorabilis vox à Luthero relata est, quum hunc & Eccium, convivio exceptos & manu prehensos, *inutilem etiã eorum disputationem insigni sua modestia taxasset, quæ disceptaverant, num Romanus Pontifex divino an humano jure dominaretur.* (b) Cetera candoris, prudentiæ, modestiæque & humanitatis documenta jam prætermitto, ab aliis haut obscure prodita. (c) Epist.

(a) Epist. apud Seckendorffium L. I. p. 85. (b) Tom. 1. Jen. Lat. p. 294. (c) Vid. Georgius Fabricius Orig. Sax. Sleidanus L. I. Schneiderus Chron. Lips. L. IV. Heidenreichius Annal. Lips. p. 94. seqq. Peiferus L. III. Lips. n. 27. seqq. Seckendorffius l. c. n. 53. seqq.

II. Si quis autem quærendo insistat, quid animum Principis à Luthero ceterisque tantopere abalienarit: Is sequentem rerum gestatum seriem, probè ponderet, subductisque rationibus veram dissensionum originem contempletur. Primo non negaverim, indolem illius natura difficiliorem, acrem ac propositi tenacem fuisse. Ostendunt insuper actiones, quàm impatiens omnis insolentiæ fastusq; exstiterit, imo etiam in argumentis rerum firmiter sibi persuasarum liberioris contradictionis. Quæ uti cum ceteris vitiis miserrimæ naturæ humanæ corruptioni adscribenda sunt; ita in parte adversa, quam oppugnavit, non minùs aliqua ejusmodi notant Scriptores. Certè in initiis horum certaminum plura contigisse autumant, quæ univèrse disceptationibus & originem & progressum fomentaque ab utraque parte subministrare solent.

III. Itaque haut dubium est, subisse Georgium communem Principum infelicitatem, qua rerum plurimarum causis cognoscendis impares obtretationibus malevolorum inscii quandoque & inviti aures præbent. Sic nostrum præter Eccium, Emserum aliosque sacrificulos, Episcopi, inprimis Misnensis & Mersburgensis, ad infestandum Lutherum incitarunt. (d) Præterquam quod exteri, inque illis Itali & ipse Pontifex speciosos ad tuendam Religionem stimulos admoverunt. Quos inter Jacobum Sadoletum

Carpentoracti Episcopum fuisse video; qui inter alia constantiam & virtutem & magnitudinem animi admiratur, quod in tantis Germania motibus tantis defectionibus eorum, qui excursus & licentiam suis cupiditatibus quarentes sobrium illum & abstinentem morem majorum adspernarentur & rejicerent, is tamen perpetuo in optima ratione constans & insanctis consiliis fortissimus exstitisset. (e) Quem inauspicatum odii Georgiani fontem ipse Martinus probe agnovit, illumque adeo magna ex parte, aliquando rem altius perpendens est confessus. (f) Tantam vero contra ea calliditatem ceteri homines adhibuerunt, ut saepius ad opprimendos Lutheranos simulatione uterentur, ipsique de Georgii tyrannide clam atque intra privatos parietes conquesti, illorum elicerent confessiones, quas deinde Principi deferrent, prout de Senatu Annæ montano legimus. (g)

(d) Seckendorff. L. I. p. 177. (e) L. XI. Ep. I. p. 428.

(f) Tom. VII. Altemb. p. 458. (g) Johannes Hespergius apud Seckendorff. L. II. p. 92.

IV. Accessit ad hæc liberior severiorque Lutheri cum illo agendi ratio, quam animus Principis & conditio externa ceteræque circumstantiæ ac imprimis ipsa Evangelicæ doctrinæ ratio, quæ tota Christi mansuetudinē prædicat, plurimis non ferre videbantur. Ut recte conjecerit illustris Seckendorffius: mitiori agendi modo molliri Principis animum & lenitate ad veritatis cognitionem perduci facilius potuisse, si summam Lutheri à Duce aversionem, & quæ vehementer & acerbè & dixit & scripsit, consideremus. Quamquam Lutheri vehementia & secuta divina judicium idem eò postea interpretatur, ut illi sævitiam Georgii & dogmatum Romanorum plerorumque conservationem displicuisse dicat. (h) Videamus ante omnia Prin-

Principis animum ex propria confessione, quam ita aper-
ruit Erasmo: *Tu non facile credas, quam indignis ac falsis con-
tumeliis hisce nos diebus & Lutherus de integro traduxerit,*
edita in nos planè tragicâ responsione, nisi ex libellis ulro citroque
scriptis cognoscas. Cui querelæ statim ipse hæc levamen-
ta subnectit: *Et cum videam, hæc sacula ingenia non ita multò*
saniora præsertim inter illius factionis homines ferre; boni con-
sulenda sunt, quæ cunque etiam præter dignitatem & meritum no-
strum in nos committantur. Itaq; multa imò omnia danda sunt
charitati Christianæ atque publicæ tranquillitati, si modo hæc no-
stra facilitate causam nostram non reddimus deterio-rem. (i) Ex
quibus omnibus offensus ejus animus, deque justitia
causæ suæ adversariorumque importunitate persuasus,
conspicitur. Subjungo alias ejusdem literas, in hæc
causa ad Erasmus exaratas, quas ex Autographo ab
amico nuper communicatas totas huic commentationi
inserere placuit.

(b) L. II. S. 12. §. 34. p. 93. (i) Apud Johannem
Fechtium in *Epist. Theol. P. VIII. n. 24. p. 835.*

GEORGIUS, DEI GRATIA
DUX SAXONIÆ.

V.

S. P. D. Jam pridem ex invictissima Hype-
raspiste tua, Erasme Doctissime, te vehementer am-
bigere animadvertimus, quo nam ingenio aut spiritu
ducatur Lutherus, ille pertinacissimus hostis in oppu-
gnandis Sanctiss. Ecclesiæ decretis. Eum tu sanè
errorem olim & nobiscum & cum bonis multis vi-
debaris habere communem. Quid enim illo mon-
stro aut versipellius inter mortales aut mutabilius ex-
stitit unquam? Aut cui non imposuit tam inusitata
hominis nequitia, tam callide adsimulata species
bonitatis. Præ se ferebat initio, per multa non ex-

D 3

pressa

„ pressa sed adumbrata tamen castæ doctrinæ argu-
 „ menta. Vendicabat sibi jure quodam Theologico
 „ gravem de vitiosis Christianorum moribus censuram.
 „ Ac meruisset ille quidem gratiam haut quaquam vul-
 „ garem, si sobrietate, si mansuetudine Evangelicâ rem
 „ gessisset. Quod cum præter naturam hominis esset,
 „ non potuit non subinde detegere genium suum, dum
 „ omnes omnibus ex terris homines improbos auda-
 „ cesque in suam sentinam collegit, dum belluam illam
 „ multorum capitum vulgus, virulentibus paradoxis
 „ inficit animat & ex stultis insanos facit, dum opti-
 „ mum quemque convitiis exagitat, præscindit, omnia-
 „ que contemptui exponit. Postremo Christianismi
 „ nostri leges, communium morum jura civilitatem-
 „ que omnem subvertit & extirpat. Illudens interim
 „ orbi vir egregius speciosis ac magnificis suis titulis,
 „ rabiosam illam maledicentiam spiritum Christianæ
 „ libertatis nominans. Honestissimarum rerum ac
 „ urbanitatis contemptum simplicitatem Evangelicam
 „ appellans. Scilicet rem eò produxit, ut quamquam
 „ sese magis magisque quotidie prodat, tamen eò de-
 „ mentix plerosque mortalium rapuit, ut prudentes
 „ scientes ac videntes in errore semel induto perdurare
 „ malint ac perire, quam ad optimorum virorum ex-
 „ hortationes respicere resipiscereque. Nam quæso
 „ te, quæ potuisset impudentia designari sceleratior,
 „ quam quâ Sycophanta impuriss. in Sereniss. Angliæ
 „ Regem, Fidei Catholicæ acerrimum Defensorem &
 „ vindicem, superioribus annis est usus. Annon vel hoc
 „ uno libello nos edocere potuisset, quam non sano
 „ agitetur spiritu? At quotus quisque istorum existit
 „ factiosorum, qui se vel latum digitum in viam sit pas-
 „ sus

sus revocare? Immo quis non pertinaciss. hanc capi-
 talem audaciam excusatam hactenus cupivit, quam
 ne ipse quidem, diutius id non ferentibus conscien-
 tiæ furiis, dissimulare potuit. Quin adspice, Mi
 Erasme, quam sui nunc similis, si Diis placet, prodeat
 ille Ecclesiastes novus, quam eleganti palinodia
 quam Evangelica, immo Sycophantica culpæ trans-
 latione statum. Eum unà cum Regis responsione,
 ut ipse ad nos Luthero transmittendam dedit, ad te
 in hoc mittere visum est, ut & tibi persuadeamus tan-
 dem, quod jam pridem ille persuasit nobis, ipsum
 non alio quam infano atque adeò vertiginis si non pe-
 jore spiritu agitari, atque intelligas, te non falsum
 quod scripserit, ipsum in alterius gratiam in Regem
 stylum strinxisse. Tu verò ex usu rerum Christiana-
 rum nobis facere videris, si & tu magni illius Regis
 animo forti & sincero parias tandem, quod jam du-
 dum te in Hæresiarchæ istius dogmata parturire scri-
 pisti. Benè vale, Dresdenn Kalendis Januarii
 M D XXVII.

*Epigraphe: Doctiss. & Disertiss. Theologo D. Erasmo
 Roterodamo: Dilecto Nostro.*

VI. Ex his aliisque monumentis prudentia Le-
 ctoris commode dijudicabit, quæ ad odii in Lutherum
 causas pertineant? Sigillatim tot præjudicia errores-
 que, quibus mens Principis misere distracta fuit atque
 exagitata. Tum querelas notabit de gestis Lutheri,
 quorum rationes paulò altius hic repetendæ sunt. Fi-
 nita Lipsiensi disputatione, plurima quidem Lutheri
 alia Duci displicuerant, sed maximè libro ejus adversus
 Henricū VIII. Angliæ Regem anno M D XXII scripto
 offensus est. Qui quamvis multa vehementer ac im-
 portunè

portunè dicta continere visus est, & in tantum Regem nimis injuriosa: tamen ab hostibus frustra insanix tribuitur (k) præsertim cum Auctor ipse excessum & offensionem deprecatus sit. (l) Nobis hic origo erumpentis in nervum contentionis sufficit, quando Georgius ad Norimbergenses Lutheri hanc scriptionem accusavit. Tantum verò abest, ut hic quædam emolliret, ut potius frustra aliquando supplicans variis deinde appellationibus, quæ contumeliosiores videbantur, magis irritaret. Nam, ut paucissima documenta sint, in literis ad Nicolaum Amsdorffium Duci *rusticam ferocitatem & stultitiam* exprobat: Aliis ad Nicolaum Hausmannum mendacia & male dicta. (m) Quemadmodum & acerrimè ad Wenceslaum Linccium scripsit, quum Principem *stultissimum stultorum* (μωρότατον μωρόν) itemque *Rusticum*, alibi *Diaboli Apostolum* nominavit. Quæ omnia tanquam insignia σφάλματα corrigi per Deum precatus est Melancthon (vid. Vol. Epist. ad Camerarium p. 103.) Quin &, quod majus est, quædam harum literarum in ipsius Ducis manus pervenerunt, quæ quantos in animo ejus motus excitarint, in proclivi est judicare. Præterquam quod exortæ inde cum ipso Electore disceptationes, & hujus in Lutherum objurgatoriæ apud Seckendorffium extent.

(k) Uti Ludovicus Maimburgius in *Historia Lutheranismi*, & antiquiores Cochlæus, Tannerus, Schererus, Vetterus, Sartorius, Bozius, Abrahamus Bzovius in *Annalibus*, aliique fecerunt. (l) *Lib. II. Ep. p. 91. & alibi.* (m) *Ibid. Lib. II. p. 310. & alibi.* (n) *Tom. VI. Altemb. p. 23. Conf. ibid. n. II. & 23.* Ipse inter querelas de hujusmodi criminationibus institutas sese nonnunquam eimen armen alten Mann *modeste*

*destè satis appellavit. Vid. Hortleder Tom. I. Lib. II.
cap. 2. pag. 781.*

VII. Hæc atque hujusmodi menti Principis profundissimè infixæ irreconciliabilem eundem reddiderunt. Consueto scilicet naturæ depravatæ malo, quò contemptum ab aliis, nedum convitia homines, ac multò maximè Principes, molestissimè ferunt, nec nisi singulari Numinis gratia corriguntur. Contigerunt autem alia plura istis temporibus, atque in ipsa Georgii ditio-
ne, quæ tali ingenio prorsus intolerabilia videbantur. Nimirum uti quævis maximarum mutationum initia communes legum disciplinæ cancellos non raro egrediuntur, ac in Religionis negotio per imprudentiorum licentiam & vulgi etiam temeritatem impingunt. E-
jusmodi plura tunc temporis contigerunt, quale illud est, quod Georgius in Epistola ad Electorem Fridericum anno 1522 Heburgi enormiter factum conquestus est, ubi in Pastoris ædes irruerint Lutherani, quidam etiam asino in vectus templum intraverit &c. Alibi refert, Cycneæ in Sacerdotem sacra portantem lapides coniectos, reliquias cæno conspersas. Ac certè graviter molesteque hæc talia tulisse Principem facile credimus, si antiqui moris & religionis avitæ multò tenacissimum respiciamus. Nec vanam conjecturam capio, illum hæc omnia Luthero quasi auctori sociisque impuisse. Ne dicam ex diu inveteratis opinionibus noviter celebratas sententias conscientia erranti quasi blasphemias & Christiano indignas apparuisse. Quemadmodum, ut unius saltem capitis meminerim, Henrico fratri per literas aliquando ex probavit, quod illorum sententiam sequeretur, qui incredulitatem pro unico peccato haberent. (p)

Perinde atque in epistola ad Georgium Anhalti-

E

halti-

hultinum indignatus est, quod *Lutherus doctrinâ de sola fide multa millia animarum in exitum precipitaverit.* (q) Etenim Zelus iste deplorandam Evangelii quidem ignorantiam satis prodidit, ceterum constans probitatis studium, vitiiorumque fugam non minus declaravit. Illa defectum luminis divini, quod solùm ad promulgandum & amplectendum Evangelium requiritur, arguit: hæc pariter miseram ejus sub lege conditionem monstrat, quatenus sufficientes à Christi gratia vires nondum suscepit.

(o) *Apud Seckendorffium L. I. p. 217. & 218. atq; ex eo Jeremias Simon Chron. Henburg. p. 954. (p) Ibidem L. III. p. 159. (q) Inter opera Georgii Anhaltini edit. noviss. p. 457.*

VIII. Solebant tunc quidam Georgium Sauli nomine notare, utpote qui pro conservandis veterum institutis tanquam pro aris & focis acerrimè contenderet, omnique mutationi & consilio repugnaret. Quamquã in eo fortè discrimen aliquis collocare queat, quod Christiani à Saulo infestati, neque vi externa neque injuriis resistere, precibus patientiaque solâ nixi, aggredierentur. Irritatus verò Noster primùm quidem libertatem sacrorum inhibuit adactis Ecclesiarum Ministris, quum multos è suis intelligeret, qui cœnam Domini percipiendam esse dixerunt juxta Christi mandatum, ut iis qui tempore Paschali de more veteri peccata sua confiterentur, & cœnam Domini juxta Pontificum decreta sumerent, symbola quædam ac veluti tesseras darent, quas illi post redderent Senatui, quo sciri posset, qui nam Pontificium qui verò Lutheri dogma sequerentur. Atque tales ejusdem conatus tum alibi tum *Quedlinburgi* quoque memorantur, ubi sacrorum emendatio, omnibus, dum

dum vixit, modis, impedivit: Quod Tabulæ atque monumenta publica in Archivo Præsidis Summi Electoralis servata commonstrant. (f) Insuper Novi Testamenti interpretationem recens à Luthero divulgatam prohibuit, ad quod consilium ab Angliæ Rege Henrico instigatus videtur, qui anno M D XXIII huic atque ipsi Electori fratrique Johanni scripserat, ut Lutheri novam Bibliorum versionem impediret. (s) Quare non solum Hieronymi Emseri notas in Lutheri interpretationem excudi permisit, ab illo egregiè quidem deinde castigatas; sed & ejusdem novam versionem anno M D XXVII singulari diplomate munivit, in quo, quæcunque poterat adversus Lutherum querelarum capita, conquirit. (r) Quamquam & jam ante anno M D XXII, scribatur Rectori Academiæ Andreæ Franckio in mandatis dedisse, ut publico programme libros Lutheri ac speciatim Novi Instrumenti interpretationem prohiberet, extrema quæque refragantibus comminatus. (u)

(r) Johannes Sleidanus *Lib. IX. init. & ex eo* Lucas Osiander *Cent. XVI. Hist. Eccles. L. II. c. 26.*

(f) *Conf. Gerhardus Exeges. Loc. Com. dedic. (s) Vid. Seckendorff. L. I. Sect. 57. §. 156. p. 277. (t) Ib.*

p. 207. seqq. (u) Zacharias Schneiderus L. IV. Chron. Lips. p. 178.

IX. Secuta mox sunt multorum exilia, quum non modo ipse Dux Henricus, etsi Lutherum jam amans, metu forsan adductus tres virgines conjugis gynæceò ejiceret. (x) Sed Georgius in primis Lipsiæ & in reliquis oppidis suis cives plurimos bonis mulctaret ac ditione ejiceret, speciatim autem anno M D XXXII cives numero octoginta cum familiis suis Lipsia pelle-

ret, quos Lutherus duabus epistolis consolatus est. (y) Præterquam quod suspecti Lutherani ab obitu suo sepulturae consuetæ ceremoniis locoque honesto privabantur, quibusdam etiam in carcere mortuis per lictores & carnifices in morticinis sepultis. (z) Denique ad sanguinem etiam & mortem usque nonnullos persecutus est, quando in Dynastia Glauchensi Ernestus, illius Dominus Georgium Drosdorffium ædituum An. MDXXVI, quod concionē habuisset, auribus & parte genarum privatum provinciâ Georgii perpetuò exulare iussit. Ipse anno MDXXIV bibliopolam Lutheri libros Lipsiæ distrahentem in foro mandavit decollari. (b) Sequenti etiam anno aliquot Magistros Episcopo Mersburgensi in vincula conjiciendos misit & binos cives itidem publicè capite multavit. (c) Et sane si isti homines Studiosis Wittebergensibus similes fuerunt, qui Lipsiæ jam Anno MDXX. affixis publicè literis Eccio exitium minati, in fensissimum animum in Principem quoque illius Patronum prodiderunt: (quod aliquis apud *Seckendorffium* L. I, p. 116. refert.) Petri effatum (1. Petr. II, 19, 20.) minus illis solatio fuit.

(y) Georgius Fabricius *L. VII. Orig. Sax. p. 874. Luth. Tom. VI. p. 5. & II. Schneiderus l. c. Weberus in Lips. Evang. p. 41. Heidenreichius in Annal. Lips. & c.* (z) Fabricius *l. c. Schneiderus p. 179. (a) Seckendorffius L. II. Sect. IX. §. 19. p. 51. (b) Schneiderus p. 178. (c) Fabricius l. c. Schneiderus l. c. Weberus p. 28. add. Abrahamus Scultetus P. II. Annal. Evang. p. 417.*

X. Latius grassatæ sunt istæ animorum distractio- nes, ut ipsi inter se Principes sanguine proximi collide- rentur. Scripserat Lutherus, uti monui, epistolas civi- bus

bus Lipsiensibus easque satis iterum acerbas; aliis etiam
 Ducem *Diaboli Commissarium & caput insanum* dixerat. (d)
 Istæ multis exemplaribus in urbem dispersæ ac Georgio
 quoque delatæ, tantam bilem (quod facile conjici pot-
 est) commoverunt, ut pacta Electoris Friderici violata
 publicè conquereretur. (e) Variæ hinc enatæ Electo-
 rem inter & Ducem disceptationes, æque gravissimæ
 & ad tumultus publicos spectantes. Neque illæ exspi-
 rarunt, quin post aliquot annos magnopere recrudes-
 cerent & anno M D XXXVI Georgio Nobiles quos-
 dam Lutheranos bonis exuente *Elector Johannes Frideri-
 cus*. Pontificios aliquot sibi subjectos similiter extur-
 baret. Ac profectò res periculosa exitium Saxoniam
 minabatur, nisi *Philippi Landgravii Hassiæ* operâ per arbi-
 tros causa feliciter composita fuisset. (f) Ut documen-
 to adeò hæc posteris essent, quàm parum pertinaci ac
 tumultuosa imò contumeliosa fastuosaque agendi ra-
 tione in rebus, maxime sacris, proficiamus.

(d) Vid. Tom. VI. Alt. pag. 2. 3 & Tom. V. pag. 984.

(e) Tom. VI. Ibid. pag. 34. (f) Vid. Seckendorff.

Lib. III. Sect. VII. §. 22. p. 58. & Sect. XIV. §. 46. p. 128.

Add. Auctor vite *Mauritii & Christiani I.* M D XCIV
 editæ.

XI. Eandem tamen fortunam *Philippus Landgravius*
 fermè expertus erat, quamvis illius gener ac soror hu-
 jus illius filio in matrimonium data foret. Adduxe-
 rat Georgium M D XXVII ipsiusmet *Consiliarius*, Ot-
 to Paccius apud Landgraviû in suspicionem, quasi cum
 reliquis Romanæ Religionis addictis Principibus con-
 tra Protestantes fœdus pepigisset. Atque hæc sive
 conficta per fraudem sive arcana & suppressa confœde-
 ratio hos adeò & Philippum maxime commovit, ut ad

bellum omnia spectare viderentur. Nisi peculiati
 DEI providentia factum esset, ut fraude Paccii detecta,
 per moderationem in primis Electoris incendium fuis-
 set suppressum. (g) Quamquam exinde novum rixa-
 rum argumentum provenit, cum Lutherus adversus
 tot publica documenta Principumq; consensum tamen
 Georgium conspirationis adeò periculosa atq; infamis
 constanter insimularet multaq; acerrimè scriberet. Quo
 factum, ut Dux justitia causæ & innocentia nixus, & sibi
 & aliis de insolentia importunitate & libidine calumni-
 andi, Luthero quasi familiari, plura firmiter persuade-
 ret, ac non injuria in ipsum sociosque invehi crederetur.
 (h) Ceterum hic est ille Philippus, qui constanti animo
 oblatam dein à Georgio socero ditionum hereditatem
 abnuit, neque, ut veteri superstitioni atque servituti sese
 iterum addiceret, potuit commoveri, commendante
 hanc generosam mentem Luthero (in Sermon. Convi-
 val, cap. XLV pag. 335.)

(o) *Vid. omnino* Fridericus Hortlederus *Tom. I.*
von Ursachen des Deutschen Kriegs L. II, cap. 1.
seqq. Sleidanus *L. VI, p. 164.* Georgius Fabricius
Orig. Saxon. L. VII, p. 870. Chytræus *L. XII, p. 312.*
 Seckendorff *L. XII f. 13. S. 35. pag. 94. ac omnino*
 Johan. Strauchius *Exercitationum Exotericarum dis-*
sertatione nonâ. (h) *Vid. Lib. II. Ep. Luth. pag. 379.*
 & 387.

XII. Fratrem germanum Henricum Georgius
 ante hac dilexisse visus erat, sed inclinante illo ad do-
 ctrinam Lutheri alienior factus, atq; instigantibus ma-
 levolis ad excludendum illum hereditate adductus
 est. Primum igitur omnibus modis fratri adversari
 cœpit, postquam is in ditionis suæ parte instituta Lu-
 theri

theri apertè ruebatur. Factum non multò post, ut anno MDXXXVII filius Georgii primogenitus absque liberis obiret, ebrietati quippe & luxuriæ libidinique per omnem vitam deditus. (i) Alter filiorum Fridericus ad conjugium pariter & Rempubl. à prudentibus ineptus judicatus est. (k) Hic Georgium, variis suorum suggestionibus circumactum eò annoti apparuit, ut vel fratrem hereditate frustraret, vel antiqua omnia illæsa conservaret. Quare dissimulans cetera Religionis conciliationem Lipsiæ tentavit, at successu conatibus haut respondente. Tum verò aliam ingressus viam superstiti filio Friderico uxorem dedit, Agnetem Mansfeldicam, qui tamen altero ab hinc Mense, ingenti Parentis luctu atque desiderio, fato decessit, spemque simul omnem secum abripuit. Hic proinde mirum in modum contristatus decubuit, varia secum agitans, ac testamentum quidem fratri perincommodum condere instituit, sed gravitate morbi oppressus, perditio sermonis usu improviso decessit. Factum id fuit anno quidem Epochæ Christianæ MDXXXIX, ætatis verò LXIIX. (l)

Seckendorff L. III pag 208. Matthæus Ratzembergerus sive alius auctor relationis MStæ de Johanne Friderico Augusto & Mauritio. (k) Seckendorff, p. 212. 203. Hist. MStæ p. 3. (l) Vid. Sleidanus L. XII, p. 142. Seckendorffius l. c. XIII. Genus morbi miserum traditur, passio nimirum iliaca, fœda & acerba: Ipsius autem vitæ exitus ratio incertis diversisque relationibus & studiis describitur. Quandoquidem alii Sacerdotem Dresdensem ad fuisse, ineptiasque suas adhibuisse contendunt. (m) Alii verò à quibusdam aulæ nobilibus (quibus non.

nonnulli ipsum Pastorem substituunt) moribundum Principem de Christo monitum scribunt, quem ille cupidè amplexus tandem occubuerit. (n) Quò etiam familiare sibi proverbium secutus sit, ut rejectis ambagibus rectam omnibus viam commendaret. Sanè Lutherus aliquando secus de salute illius pronunciavit, atque posteros sensisse in commentationis hujus initio videmus. Usus enim est formulâ, exiguam reconciliationis pariter & salutis spem indicante, quando *memoriam ejus infelicem*, in acerima ista invectiva adversus Henricum Ducem Brunsvicensem dixit. (o)


(m) Cochlæus apud Odoricum Raynaldum *Annal. Ecclesie: anno M D XXXIX. n. 19.* (n) *Gerade aus gibt die besten Kenner vid. Christ. Meltzerus Chron. Schnebergensi p. 549. Seckendorffius l. c. p. 212. Auct. or. Aulæi Sax. p. 511.* (o) (*Unseeliger Gedächtnis*) *vid. Lib. ejus wider Hans Worst Tom. VII. Altemb. p. 448. quem librum acri & copioso bile refertum Seckendorffius agnoscit l. c. p. 377. Contra quàm adversa pars, cum aliis Pium, Catholicum & Optimum predicarunt. (vid. Jo. Nass. Evangel. Wahrheit. Centur. II. p. 79.)*

XIV. Ita verò mortem senis ingens rerum mutatio secuta est, eaque brevi tempore confecta, etsi refragantibus primò quibusdam proceribus. Superatis verò demum difficultatibus plerisque universa *Misnia* ac *Thuringia* partibus Lutheri accessit. Speciatim ac primò *Lipsia*, deinde sita ad Albim oppida minora; tum *Dresda*, mox *Freiberga*, *Annaberga*, *Chemnitium*, ceteraque illius tractus loca emendatum doctrinæ genus susceperunt: quod num vitæ quoque emendatio sit secuta, *Annales* & *monimenta* cetera doceant. (p) De singulis ac de modo

modo imprimis non est hic locus narrandi amplius aut inquirendi. Id solum operæ prætium est extremò considerare, quantæ & sibi & Reipublicæ calamitatis causæ existant, qui, dum à consiliis sunt Principibus, violenta illa & ad commovendos atque exacerbandos animos spectantia subministrant. Tum animadvertere prudentiæ causa par est, rarò inimicitias inveteratas ante obitum dissidentium, nisi illi divino ductu emendentur, deponi. Ac multum adeò interesse, ut Christiani, & maximè Doctores, initiis odiorum prospiciant, omniaque potius & convitia & quævis alia perferant, quàm ut vindicandis injuriis aut regerendis, vel alia acerbiori ratione exulcerent utrinque animos, vulnusque insanabile infligant. Speciatim quum Evangelii mysteria dispensant, totos sese ad Magistri summi exemplum componant, induantque animum demissum & mansuetum, qui ceteros amore pariter ac reverentia repleat. Longè enim diversa Novi Fœderis ratio est, quàm ut exempla acerbitalis atque insolentiæ, & durior violentusque agendi modus ex antiquo in illud transferri, vel ad excusandum animi rigorem adhiberi possint. Ad summam lapsus hominum etiam laudatissimorum proclives agnoscimus, erudimur etiam iisdem ad cautelam, solique DEO auctoritatem in salutis negotio irrefragabilem nec fallentem tribuendam arbitramur.

(p) *Vid. universè Georgius Fabricius Orig. Sax. Joh. Sleidanus, Luthetus Tom. VII. Altemb. Abrah. Sculterus Annal. Evang. Seckendorffius L. III. sect. XIX. Henricus Spondanus David Peiferus, Schrœderus, Weberus, Jenifius, Weckius ceterique annalium conditores magnò numerò.*

XV. Denique in horum omnium consideratione ob oculos versatur periculum, quod sane anceps & insigne Principibus instat atque Magistratui universe, quotiescunque de Religionis rebus disceptatur. Ubi tum res omnes propius nosse, atque summam caputque causæ planè penitusque perspicere par est, tum moderationem adhibere maximam, nihilque in utramvis partem committere, cujus deinde pœnitere posset. Non hic indulgere affectibus convenit, non præjudicatis opinionibus inhærere, aut solos intueri antiquos mores & consuetudinem majorum, si manifesta veritas aliud divinitus proponat. Sed neque malevolos audiendos putet vel calumniis præbendas aures, aut rationes, quas politicas vocant, sententiæ voluntatique Conditoris Summi opponendas. Quin veri rectique amantes assurgant luci divinæ efficaciter sese exerenti, summamque felicitatem esse, si Christo auscultent neque refragentur, persuadeant sibi atque revera experiantur. Neque enim inter Christianos dubium amplius esse potest aut in controversiam adduci, quod quidam ex genuinis Sapientibus dixit, Platonis effatum imitatus: Tum demum Respublicas fore beatas, si & Reges Principesque æternæ essent Christi sapientiæ studiosi, & Ministri omnes, posthabitâ Politicorum vulgarium disciplinâ, ad illius ductum philosopharentur.



Hypo-

Hypomnemata.

I.

Historia Ecclesia nobilior est & antiquior notitiâ Rerumpubli-
carum: Perinde atq; ipse proborum cœtus diu ante fuit inter
homines à DEO collectus & constitutus, quàm imperia potestatesque
per ambitionem tyrannidemque impiorum stabilirentur.

II. Constabit etiam aliquando memoria rerum bene in Ec-
clesia gestarum, postquam interim historia orbis depravati, ac tot
scelerum fraudumque in Rebuspublicis commissorum dudum abo-
lita deprehendetur intercidisse.

III. Recte omnino & convenienter antiquitati Conringius
pronuntiavit, quatuor in Orbe Monarchias, plus fama quam veri
obtinere; si dextere modo omnia explicentur. Certe plura quoque
Imperia iisdem temporibus non minus opibus potentiâ & latitudine
possessionum floruisse constat, quàm ipsa quandoque vel Assyriaca
vel Persica vel Romanorum Monarchia.

IV. Non pauci neque modum elogiorum neque vituperatio-
num cogitant aut servant, qui Principum historias condunt, prout
nempe amore odiòve ducti, de veritate parum aut nihil reliqui fe-
cerunt. Haut secus atque Sacra Historia eodem morbo dudum la-
borare coepit, ut plures sine dubio cum DEO eternum letentur ac
triumphent, qui hominum sententiis atque in ipsa vulgò recepta
Historia ad Orcum sunt destinati.

V. Collatis probe inter se antiquorum monumentis subdu-
ctisque omnibus rationibus, certum fixumque permanet, Sacerdo-
tes, quorum maximè interfuit omnia pro lubitu gerere atq; ac confin-
gere, in hoc argumento plurimum turbasse.

VI. Speciatim Clerus inde ab ætate Ecclesie sincerioris, im-
probis & corruptis non passus est, suis quemque coloribus depingi,
veritus quippe, ne fraudes atque artes dominandi nimium manife-
sto proderentur.

VII. Cum itaque de Imperatoribus aliisque rerum Domi-
nis plura alia communiter & promiscuè memoria prodita non sta-
tim sunt credenda, tum sigillatim Wenceslao Imperatori, non uno
nomine injuriam à Monachis aliisque Scriptoribus fieri cen-
sebunt.

Vc. 2233, OK
3) 44 (30

VIII. Quandoquidem autem Clerici depravati curas cogitationesque Principum sacris rebus sui aliorumque gratia adhibitas minimè omnium ferrent; quippe sua dominandi cupiditate nimium infestas: exinde hostilem in modum adversus eiusmodi viros & re ipsa & scriptis quoque historiis sunt grassati. Quam in rem vel ex medio aeo Historiam Henricorum, Fridericorum aliorumquo Imperatorum perlustrare possunt, quorum animus nondum est in eo argumento confirmatus.

IX. Ex eodem inauspicato affectuum fonte tot corrupta iudicia adversus illustres veritatis probitatisque instauratores ac testes derivanda sunt, qui, simul ad sacra vel emendanda vel amplificanda applicuerunt animum, eiusmodi hominum odiis vel oppressi sunt vel magnopere excruciiati.

X. Contrà atque in propriis causis fieri solet, ubi Clerus Principes ceterosque viros commoda, quibus iste inhiabat, non impedituros & magnos & beatos aperte ac perfricata forte predicavit ἀπερὴς μὲν σημεῖον ἔδειξεν ἔχοντας δεῖξαι Sap. V. 13.

XI. Longa foret hereticorum series enarranda, qui ad hoc argumentum pertinent: experti quippe vel zelum Doctorum ejusmodi, qui ἐκατ' Ἰππύωνον esset, vel apertum atque implacabile odium in causa DEI veritatisque asserenda in sese derivatum. Quod non exempla solum Apostolorum ipsiusque Magistri JESU Christi, sed & reliquorum testium veritatis per seculorum ordinem manifesto comprobant.

XII. Certe hujusmodi zelum tentando quoque & commovit & clam spectavit nostro saeculo Johannes iste Valentinus Andrea, Vir sapientissimus & vindex veritatis oppressa prorsus in comparabilis. Ab hoc famosam illam Fratrum Rosea Crucis sectam dispersis ejusmodi libellis & suppositis in theatrum productam esse litera nuper ex Belgio transmissa confirmarunt. Præterquam quod scripta illius, & Turris Babel maxime illum quidem primò in hac re classicum cecinisse & receptui denique dedisse signum testantur.

F I N I S.

me



ur as cogit
â adhibi
upiditate
ejusmodi
Quam in
um alio
nondum

rupta ju
res ac te
el ampli
l oppresse

bi Clerus
non im
radicavit

ui ad hoc
um ejus
placabile
riatum.

ri JESU
um ordi

ommovic
drea, Vir
parabilis.

erfis ejus
nsper ex
ta illius,

c re

anulo
to tunc
ni sicut
mundi

Von





AR. 21.
1221

HIS
GE

SA

disquisit

GOT

Historiarum

JOHANNES

Ad d
Typis

V c
2233

gi

E

ttit

OO

rof.P.

Einsiedel/

5 1/2

